

SECTIO II.

DE

FORMVLA PVLVERIS
INTERNI.

§. 297.

Quid sit
puluis.

Puluis internus est medicamentum interu-
sicum, in particulas paruas inter se non
cohaerentes comminutum et aequabiliter
mistum.

§. 298.

Puluis
est vel
simplex
vel com-
positus,
vel ma-
gistralis
vel offic-
nalis.

Cum omne medicamentum sit vel sim-
plex, vel compositum §. 35. vel officinale, vel
magistrale §. 31. et vel absolutum, vel relati-
uum §. 12., puluis, dum pariter est medica-
mentum §. 297. est vel simplex, vel composi-
tus; vel magistralis, vel officinalis; vel rela-
tiuus, vel absolutus.

§. 299.

De tri-
bus spe-
ciebus
pulue-
rum.

Cum puluis sit medicamentum sicum, in
paruas particulas inter se non cohaerentes
comminutum §. 297. pro gradu tenuitatis par-
tium eius vario modo diuiditur. Sic pul-
vis, si eius partes sunt subtilissimae, ita, ut pol-
linem impalpabilem, quem vulgo *alcohol* vo-
cant, reterant, dicitur *subtilissimus*, siue *alco-
hol*; *grossus*, siue *tragea*, si partes eius sunt
crassiores; et *simpliciter pulueris* siue *specierum*
nomen gerit, si partes eius mediae sunt
subtilitatis. Ad hanc speciem pulueris per-
tinent e. g. *species imperatoriae*, *diacinnamo-
ni*,

*mi, diarrhodon Abbatis, puluis stomachicus
Birckmanni.*

§. 300.

Quae demonstraui §. 4. 5. 9. 11. 16. 17. 18. 19. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 29. 33. valent quoque de formula pulueris, vti vnicuique haec pensanti facile patebit, ita, vt superuacaneum esse ducam, ea longa syllogismorum serie applicare ad formulam pulueris.

Demonstrata applicantur ad formulam pulueris.

§. 301.

Cum puluis sit medicamentum internum siccum, in paruas particulas non cohaerentes redactum §. 297., sequitur, vt omne id materiam pulueri praebeat, quod interno vsui aptum vel ex se, vel sub aliorum miscela in partes minutas non cohaerentes redigi potest. Huc igitur inseruiunt simplicia quaeuis regni triplicis sicca, friabilia, interno vsui apta, nec non praeparata et composita similia.

Quaenam materiam pulueri interne praebent.

§. 302.

Cum spissa et mollia, vt succi expressi, extracta, electuaria, immo liquida, vt balsama liquida et olea, non per se quidem et sola in partes minutas non cohaerentes redigi possint, eam ob causam et eatenus materiam pulueri non praebent §. 301. Nihilominus tamen eatenus materiam pulueris constituunt, quatenus in debita quantitate cum sufficiente siccorum friabilium quantitate mixta, in partes paruas minus cohaerentes comminui possunt §. cit.

Num spissa, mollia et liquida materiam pulueri praebent.

K 3

§. 303.

§. 303.

De ingredien-
tibus
pulueris.

Cum ingredientia medicamenti ea sint, quae eius materiam constituunt §. 8, ea erunt ingredientia pulueris, quae eius constituunt materiam. Pater ergo ex §. 301. 302, quatenam et quam varia sint ingredientia pulueris,

§. 304.

De sele-
ctu in-
gredien-
tium
pulueris.

Ne vero promiscue et sine vlllo discrimine ex pulueris ingredientibus quaeuis congerantur, delectus in his est habendus. Quae de re in puluere simplice praescribendo non tale est eligendum ingrediens, quod solum in pulueris formam redigi nequit, vel eandem, si vel maxime eam assumserit, non diutius retinet. Praeterea ingrediens pulueris simplicis tale, si fieri potest, est eligendum, quod nec molestos, nec noxios producit effectus, vel in, vel post assumptionem. In puluere composito itidem ea, si circumstantiae id non prohibent, vitanda sunt ingredientia, quae in debitam pulueris formam redigi nequeunt, vel si id evitari nequit, cum alio vel aliis sunt combinanda, quorum ope desiderata forma exsurgit. Neque minus, si per circumstantias licet, talia in puluere composito non sunt accipienda ingredientia, quae siue in, siue post assumptionem, vel molestos, vel noxios producant effectus, vel, si id fieri nequit, cum alio vel aliis sunt commiscenda, quae eorum qualitates corrigunt.

§. 305.

§. 305.

Specifice leuiores simulque maiori tantum dosi efficacia, qualia sunt vegetabilia, herbae, flores, folia, etc. interne in pulueris forma adsumenda, magna inferunt incommoda, cum magnam dosi adsumendae constituent molem, et in vehiculo, quo tales pulueres sumuntur, mox turgescant, et vti maiorem molem exhibent, sic maiorem etiam excitant in assumendo molestiam. Iam in puluere tam simplici, quam composito, ea, si per circumstantias licet, vitanda sunt ingredientia, quae in assumendo molestias excitant §. 304. Quae de re specifice leuiores nec exigua dosi efficacia in puluere interno, si fieri potest, non sunt adhibenda.

Specifice leuiores et maiore mole efficacia, quantum fieri potest, in puluere vitanda sunt.

§. 306.

Quodsi vero, necessitate urgente, specifice leuiores et maiori tantum quantitate efficacia sunt adhibenda in puluere composito, illis admiscenda sunt alia minore mole efficacia, vt priorum inertiae succurratur, eorumque iniucunditas minuatur.

Si sunt adhibenda specificae leuiores, iis admiscenda, sunt minori dosi efficacia.

§. 307.

Gummata difficulter sunt friabilia, et in assumendo per saluam dissoluta, facile lentescunt, vnde patet, ea minus commode in pulueris formam redigi posse, et in assumendo magnas excitare molestias. Iam

Gummata in puluere vix dantur sola.

ea ingredientia in puluere tam simplici, quam composito, si fieri potest, non sunt adhibenda, quae vel in pulueris formam redigi non possunt, vel in adsumendo molestias creant §. 304. Patet ergo ratio, cur gummata in puluere simplici vel plane non, et in composito non sola, sed cum aliis mixta, dentur.

§. 308.

Mucila-
ginosa,
oleosa et
pinguia
in pulue-
re sim-
plici non
sunt ad-
hibenda,
sed in
composi-
to cum
aridis
subacta.

Mucilagine et oleo plena, uti sunt multa semina, trita in pastam coeunt, nec commode in pulueris formam redigi possunt. Qua de re ea pulueres simplices non ingredi debent §. 304. sed compositos tantum, ita ut cum debita aliorum aridiorum quantitate subacta porrigantur §. cit. Idem valet de pinguibus.

§. 309.

Acriora,
amarissi-
ma, par-
tibusque
internis
adhae-
rentia,
non sunt
in pulue-
re sim-
plici ad-
hibenda.

Acriora, amarissima, partibus internis adhaerentia, et hinc vel molestos, vel noxios effectus producentia, ex ratione §. 304. adducta non sunt, si fieri potest, praescribenda in pulvere simplici, sed in composito, aliis commodis ingredientibus mixta. Et eam ob causam reffinae, inprimis acriores, salibus appropriatis, absorbentibus terreis, saccharo, vel olei idonei pauxillo subiguntur, ne his mixtae, partibus internis adhaerescant, et ut, solubiliores reddantur.

ditae, eo facilius et minori incommodo effectum suum edant.

§. 310.

Praeparata mercurialia, generosiora in primis, in pulvere simplici dare non conuenit, quoniam dosis paruitas, in qua porriguntur, repugnat, ideo, si in puluere propinanda sint, vna cum aliis idoneis ingredientibus mixta, in pulvere composito praescribantur. Neque minus tutius videtur, mercurialia ista pilularum, vel boli, quam pulueris specie exhibere.

Mercurialia sola in pulvere non dentur, sed cum aliis mixta.

§. 311.

Sal alcalinum fixum quoniam facile deliquescit, pulueris formam non retinet. Cum iam puluis simplex ex ingrediente pulueris formam non retinente non sit conficiendus §. 304. ex sale alcalino fixo puluis simplex non est praeparandus. Accedit ad haec, quod ingrediens pulueris simplicis, si fieri potest, tale sit eligendum, quod in assumendo nullas excitat molestias §. 304. Cum vero, experientia teste, sal alcalinum fixum vrinosam acrimoniam, quae admodum molesta est et iniucunda, secum ferat, alia praeterea subest ratio, cur non ingredientis vicem in puluere simplici explere possit.

Sal alcali fixum in puluere simplici non est praescribendum.

§. 312.

Quamuis sal alcali fixum sub pulueris simplicis forma porrigi nequeat §. 311. compositum

Sal alcali fixum tanquam

ingrediens in pulueribus compositis admitti potest.

tum tamen puluerem ingredi potest, et ingreditur, necessitate in casu obuio alcali fixi vsum in puluere postulante, ita vt simul nulla ratio vrinosae eius acrimoniae habenda sit, si nimirum cum aliis ingredientibus, facile eius deliquium vsque ad certum tempus prohibentibus, miscetur.

§. 313.

Salia volatilia non facile ingrediuntur pulueres.

Salia quoque volatilia pulueribus non facile admisceri solent, quoniam odore et sapore sunt ingrata, et, nisi mox assumantur, vel in vitro probe obturato asseruentur, exhalant.

§. 314.

Quomodo corrigantur sapores ingrati puluerum.

Sapores ingrati puluerum compositorum saccharo, elaeosaccharo, tragearum praecipue confectionibus saccharatis solitis et similibus corrigi solent. Sunt autem elaeosacchara nihil nisi saccharum, quod vna vel altera guttula olei cuiusdam destillati est impraegnatum.

§. 315.

De quantitate sacchari in pulueribus compositis.

Sacchari, si est adhibendum in pulueribus compositis ingrati saporis, quantitas ad reliquorum ingredientium pondus sumitur, literis ad P. O. id est, pondus omnium, adiectis, et sic in trageis, maxime diffusioribus, reliquorum ponderi aequalis, huiusue dupla, immo tripla praescribitur.

§. 316.

§. 316.

Odores iniucundi puluerum composito
 rum oleis fragrantibus, pauxillo moschi ambræ
 que corrigi solent, sed circa vsum horum at-
 tendendum est ad indiuidui dispositionem sin-
 gularem. Ad vtrumque scopum, nimirum
 ad saporem et odorem gratum pulueribus
 conciliandum, adhibentur elaeosacchara §. 315.

Quomo-
 do odo-
 res iniu-
 cundi
 pulue-
 rum cor-
 rigantur.

§. 317.

Si coloris gratia pulueri composito est
 concilianda, hoc sine vsurpantur cinnabaris,
 fantalum rubrum, auri foliola aliaque; sed
 circa eorum vsum notanda sunt dicta §. 65.

Quomo-
 do colo-
 ris gratia
 pulueri-
 bus com-
 positis sit
 concili-
 anda.

§. 318.

Cum medicamentum compositum eo sit
 perfectius, quo pauciora habet ingredientia,
 et quo maior est effectus, qui his obtinetur
 §. 82. 83. pulvis compositus, cum sit medica-
 mentum §. 297, eo est perfectior, quo pau-
 cioribus constat ingredientibus, et quo maior
 est effectus, qui his obtinetur.

Puluis
 compositus eo est
 perfectior, quo
 pauciora
 habet in-
 gredientia et quo
 maior est
 effectus,
 qui his
 obtine-
 tur.

§. 319.

Qui ea, quæ circa ordinem, quo ingre-
 dientia pulueris compositi in scribendo sint
 col-

De ordi-
 ne, quo
 ingredi-
 entia

pulueris collocanda, obseruanda sunt, nosse cupit, se inuicem fequantur. repetat huc, quae dicta sunt §. 259.

§. 320.

De mole doseos puluerum.

Dosis puluerum, eorum inprimis, qui mediae sunt subtilitatis, commoda et usitata, est drachma dimidia. Interdum tamen augeatur ad drachmam usque integram, sed rarius, nec nisi aegris minus nauseantibus, vel ingredientibus puluerum ex se ponderosioribus. Ultra hanc dosis puluerum vix augeri solet. Trageae, quae iis pulueribus plerumque et gratiores et diffusiores sunt, ultra drachmam vnam facile exhiberi possunt, quin saepe pondere non satis accurate determinato, ad cochlear vnum, cultri apicem, etc. dantur.

§. 321.

Dicta de mole doseos medicamento- rum valent quoque de mole doseos puluerum.

Omnia, quae de mole doseos medicamento- rum determinanda dixi §. 141 — 157. valent quoque de mole doseos puluerum, ideoque hic sunt repetenda. Semper vero, quousque fieri potest, moles puluerum nimia, inprimis si ejus materies est iniucunda, aeger delicatior, ad nauseam et vomitum pronus, et deglutitione non adeo expedita gaudet, est vitanda, et, si necessitas pulueris doseos molem nimiam exigit, praestat eam in plures doses minores, per breviora intervalla adsumendas, diuidere §. 193.

§. 322.

§. 322.

Haec vero, quae dixi de nimia dosi pulverum vitanda §. 321. vti facile pater, intelligenda sunt de pulueribus, in vehiculo, in quo assumuntur, non solubilibus. Si vero pulueres maiore mole effectum desideratum producentes in vehiculo, in quo assumuntur, se solui patiuntur, vti sunt pleraque salia neutra, da. moles eorum dosi ultra dosin pulueris ordinariam §. 320. ita est extendenda, vti dictum fuit §. 162. 165.

Quae circa molem dosi pulverum sint animadvertenda.

§. 323.

Demonstrata de quantitate generali medicamenti relatiui §. 184. 185. 186. 187. 188. valent quoque de quantitate generali pulueris interni, quatenus est medicamentum relatiuum.

De quantitate generali pulueris interni.

§. 324.

Quantitas generalis pulueris interni relatiui in casu quouis singulari determinari nequit, sed ex circumstantiis in eodem occurrentibus est determinanda. Cum enim numerus et moles dosi medicamenti, pro variis in casu singulari obuiis conditionibus, admodum variat §. 141 — 173. et §. 189 — 199. idem valebit de mole et numero doseos pulueris interni. Quare, cum quantitas medicamenti relatiui generalis ex mole et numero doseos sit determinanda §. 186. 187. haec duo vero in puluere pro variis in casu singulari obuiis

Quantitas pulueris generalis in casu quouis singulari determinari in genere nequit.

cir-

circumstantiis variant, quantitas pulueris generalis in casu singulari determinari nequit.

§. 325.

Scho-
lion.

Sic quantitas generalis tragearum modo est vncia dimidia, modo integra, modo ad plures augetur. Euacuantium puluerum saepissime vna saltem dosi simul praescribitur, nisi continuo quodam tempore, vel per breuiora interualla, sint adhibenda. Pulueres alterantes, vti interdum ad vnam, duas et tres doses, sic frequenter ad vnciam vnam imo plures simul praescribi solent.

§. 326.

Scho-
lion.

Medico formulam pulueris interni praescribenti maxime curandum est, vt, si fieri possit, quantitas eiusdem generalis per pondus dosi sine residuo diuidi possit, si eius diuisio in doses certi ponderis pharmacopoeo perficienda committitur. Interdum, si a minus accurata pulueris, generosioris inprimis, diuisione periculum sit metuendum, consultum est, vt singulas doses seorsim adaptare iubeatur pharmacopoeus.

§. 327.

Quomo-
do dosi
efficacis
pulueris
moli ni-

Si dosi ingredientium pulueris efficax excedit iustam molem doseos §. 320. vel numerum doseos potius, quam molem eius auge, vel adde, quae minore mole eorum vim augent,

gent, quod maxime in specificè leuioribus
notandum est §. 306. 323.

mix me-
deriquis
possit?

§. 328.

Cum dosis medicamenti relatiui determi-
net quantitatem constituentis §. 74. dosis pul-
veris, tanquam medicamenti relatiui, itidem
determinare debet quantitatem constituentis.
Si ergo pulueris doseos efficacis moles longe
maior est mole doseos pulueris ordinaria
§. 320. tanta constituentis quantitas est su-
menda, vt pulueris doseos moles tanta, quan-
ta desideratur, euadat. Atque id maxi-
me requiritur in pulueribus emeticis, pur-
gantibus, aliisque generosioribus.

Si doseos
pulueris
moles
debito
minor
est quan-
titate
consti-
tuentis,
est au-
genda.

§. 329.

Quae supra de subscriptione et signatura
formulae in genere demonstrata sunt §. 107 —
129. valent quoque de subscriptione et signa-
tura formulae in specie, et per consequens pul-
veris interni, ideoque dicta huc applicentur.

De sub-
scriptio-
ne et si-
gnatura
pulueris
interni.

§. 330.

Vsus puluerum interiorum est frequentissi-
mus, et tam euacuandi, quam alterandi scopo
accommodatus; sed simul circa hunc respici-
endum est, an morbi indoles, causae et ipsius
remedii indicati natura, aliaeque in casu singu-
lari

De vsu
pulue-
rum in-
terno-
rum,

lari

lari occurrentes circumstantiae pulueris vsui non repugnent, eumque prohibeant.

§. 331.

Formulae puluerum internorum

I. emeticae.

1.

R₂ rad. ipecacuanh. ℥j.

tart. ♂ lat. vel

⊖ Fri ℥ss. M. f. puluis. S.

Brechpulver auf einmal zu nehmen.

2.

R₂ rad. ipecuanh. ℥j.

tart. emet. gr. I—II.

♂ lat. gr. VI.

M. f. puluis. D. S.

vt antea.

3.

R₂ tart. emet. gr. III.

♂ lat. ℥ss.

M. f. puluis. D. S.

vt supra.

II. pur-

II. Purgantes et laxantes.

1.

R̄. rad. ialapp. resinof. ℥j.
 crem. tartari ℥ss.
 diagryd. ꝑrat. gr. IV.
 ol. de cedro gutt. I.

M. f. puluis. D. S.

Purgierpulver auf einmal zu nehmen.

2.

R̄. tart. ♂-lat. ℥j.
 ref. ialapp. gr. IV.
 ol. anis. gutt. I—II.

M. f. puluis. D. S.
 vt supra.

3.

R̄. ref. ialapp. ppt. ℥ss.
 nitr. depur. gr. IV.
 M. f. puluis.

4.

R̄. scammon. sulph.
 ꝯii dulc. ^{aa} gr. VI.
 conch. ppt. ℥ss.

M. f. puluis.

(Pars II. de form. in spec.) L s. R̄.

5.

℞. Azis ꝑii Orat. vlt. ꝑ-tion.

tartari vitriol. aa gr. VI.

conchar. ppt. gr. VIII.

M. f. puluis.

6.

℞. crem. tartar. 3j.

ꝑii diaphor.

diagryd. Aur. aa gr. V.

ol. de cedro gutt. I.

M. f. puluis.

7.

℞. rhabarb. elect. 3j.

magnet. alb. 3ss.

M. f. puluis diuid. in
duas partes aequales.

8.

℞. rhabarb. elect.

lap. ☉. ppt. —

terr. fol tart. aa 3j.

M. f. puluis diuid. in
dos. VI.

Puluis

Pulvis laxans No. 7. optime conducit illis, quorum primae viae acido scatent, vt hypochondriacis et melancholicis. Acidum enim, si adest, infringit virtutem laxantium, vnde saepius obseruaui, a rhabarbaro cum nullo absorbente coniuncto, et pilulis balsamicis folis asumptis, aluum vel plane non, vel saltem parum fuisse solutam in iis hominibus, quorum primae viae acido refertae fuerunt; contra vero dicta remedia debito modo suum edidisse effectum, si vsus pulueris absorbentis cum pauxillo digestiui, vel praemissus, vel coniunctus fuerit. Magnesia, si acidum in primis viis inuenit, cum eo abit in sal neutrum, aluumque hac ratione egregie aperit, vnde etiam in malo hypochondriaco *ab illustri b. m. HOFFMANNO* valde commendatur. Rhabarbarum summo quoque cum fructu datur cum nitro iis, qui humorum organismo aestuque volatico facile corripuntur, quibusque bilis in nimia copia in ventriculum vel intestina excreta fuit, vbi stagnans multa incommoda producit, et cum digestiuo exhibetur, vt tartaro vitriolato, si primae viae cruditatibus viscidis abundant.

III) Diaphoreticae et sudoriferae.

^{1.}
R. C. C. phil. ppt.
ust.

Succ. ppt.

℥ii diaphor. aa 3j.

nitr. purif. 3℥.

cinnab. ppt. ʒi.

ol. de cedro, seu cinnam. gutt. I—II.

M. f. puluis, diuid. in XI. partes aequales.

Nitrum pulueribus diaphoreticis eam, vt mea fert opinio, ob rationem adiicitur, vt aestus, qui horum vsum facile in quibusdam subsequi posset, praecaveatur, mihiq; modus, pulueres diaphoreticos ex magna quantitate nitrī et tartari vitriolati componendi, vti quorundam mos est, admodum reprehendendus videtur. Sunt etiam quidam, qui nitrum cum floribus sulphuris, in pulueribus diaphoreticis mixtum, interne propinare reformidant, putantes, nitrum a spiritu suo corrosuo liberari hocque admodum esse perniciosum; sed experientia testatur, hunc metum esse vanum, et ego multas vidi formulas puluerum diaphoreticorum, a celeberrimis viris, in artis exercitio bene versatis, praescriptas, quorum compositionem nitrum cum sulphure combinatum ingreditur. Camphora saepius salutari cum effectu in eiusmodi pulueribus adhibe-

hibetur, de quo iam dixi supra §. 172. hinc eius grana duo pulveri descripto addi possunt, et praeterea pauca grana extracti castorei, vel croci, si corpus spasmis affligitur, et transpirationis est promouenda. — Hoc enim posteriori modo adhibitus, egregium exserit effectum in affectibus rheumaticis, arthriticis, hypochondriacis et hysteris.

2.

R. gii diaphor.C. C. phil. ppt. aa 3ss .flor. Aris 3ss .

M. f. puluis.

3.

R. bezoard. min. siue

ceruss. gii $3j$.reg. gii med. 3ss .⊖ vol. C. C. vel
viperar. gr. XII.

M. f. puluis.

4.

R. aethiop. min.

C. C. phil. ppt.

 gii diaphor. aa $3j$. Aris gii aur. vit. tion .elaeosacch. cinnam. aa 3ss .

M. f. puluis.

*q. eth: min: 3j
C. C. phil. ppt.
gii diaph: ad 3j
elaeosacch: aa 3j
viperar: vit 12 gr
Aris gii aur. vit. tion.
I. h. ulto mox in nial
uind in Glaten in
quid dicitur Apr
curry in henden.
Hic*

- L 3

Hic puluis No. 4. egregium exserit effectum in morbis ab impuritate feri oriundis, vt scabie, lue venerea, aliisque, nec non in vlceribus malignis et obstructionibus glandularum. In his posterioribus aethiops mineralis solus, cum absorbentibus terreis, sine additamento aliorum diaphoreticorum fixorum, exhiberi potest. Elaeosaccharum grati saporis conciliandi causa hic additur, hinc quoque si eius nulla est habenda ratio, omitti potest.

IV. Diureticae.

I.

R_x. conch. ust. siue
test. ouor. ust. gr. XII.
⊖ Succ. bene ppt. gr. VIII.
ol. iunip. pur. gutt. II.
M. f. puluis.

2.

R_x. salis onon. siue genist.
nitri antimon.
tart. ⊕-lat.
ocul. ☉. citrat. aa ʒj.
M. f. puluis.

3.

R_x. terr. fol. tart.
conch. ppt. aa ʒj.
millep. ppt. ʒj.
M. f. puluis, diuid. in VI. partes aequales.
His

His pulueribus non est promiscue vtendum in suppressione vrinae, sed probe prius indagandae sunt ejusdem causae. Nam si effluxum vrinae spasmi a calculo producti supprimant, malum potius augment, quam minuunt. Si vero excretio vrinae a viscida materia, tubulos vrinarios, vel vias, quas vrina permeare debet, obstruente, sufflaminatur, pulvis No. 1. et 2. prae aliis conuenit, et posterior No. 3. in hydropse et tumoribus oedematosis curandis egregie se gerit.

V. Sistentes simulque roborantes.

I.

R₂. Matr. perl. ppt.
 succ. ppt.
 nitr. depur.
 corall. rubr. ppt. aa ʒj.
 cort. cascar. ʒʒ.
 ol. macis. gutt. V.

M. f. puluis.

Puluis hic egregium exserit effectum in excretionibus sanguinis ferique nimis compescendis, praecipue praecauendis, vt in haemoptysi, vomitu cruento, diarrhoea in dysenteriam abitura.

L 4

2. R₂.

2.

R $\acute{x}$. lap. ☉. ppt.
 spec. de hyacynth.
 nitr. purif.
 cryst. mont. ppt. aa 3℥.
 theriac. coel. gr. III. siue
 M $\mathcal{P}$. de cynogl. gr. V.
 M. f. puluis, diuid. in VI. partes.

3.

R $\acute{x}$. nitr. depur.
 oc. ☉. citr. aa 3ij.
 cinnab. opt. gr. XXX.
 M. f. puluis.

VI. Puluis absorbens.

R $\acute{x}$. lap. ☉. ppt.
 conch. ppt.
 test. ouor. ppt.
 corall. rub. ppt. siue
 matr. perlar. aa 3ij.
 cinnab. ppt. 3℥.
 ☉-l. ♂is ad albed. calcin. gr. X.
 M. f. puluis.

Puluis absorbens solus optime ex vnico
 horum ingredientium, vt conchis praeeparatis,
 con-

confici potest, nec tot opus est. Specimen tantum loco hunc puluerem hic apposui. In genere vero notandum, pulueres absorbentes non maiori et saepius repetita dosi esse exhibendos, nisi acido primas vias infestante.

VII. Puluis praecipitans, siue temperans.

Rx. lap. ☉.

matr. perlar. aa ʒj.

nitr. purif. ʒss.

M. f. puluis.

VIII. Pulueres digestiui et ventriculum roborantes.

1.

Rx. conch. ppt. siue
citrat.

tart. ☉ lat. aa ʒij.

M. f. puluis.

2.

Rx. lap. ☉ ppt.

tart. ☉ lat. siue

☉ dig. Sylu. aa ʒj.

rad. ari.

pimp. alb.

cinnam. acut. aa ʒij.

M. f. puluis.

L 5.

3. Rx.

^{3.}
℞. flaued. cort. citri

○rant.

tart. vitriolat. aa ʒij.

nitri purif. ʒj.

cort. cascar.

cardamom. min. aa ʒij.

M. f. puluis.

^{4.}
℞. lap. ○. ppt.

succ. ppt.

nitr. purif. aa ʒj.

cort. chin.

cascar. aa ʒj.

M. f. puluis.

^{5.}
℞. calam. arom.
galang.

cost. ver. aa ʒj.

cinnam. acut.

flaued. cort. citr.

○rant. aa ʒij.

cardam. min.

cubebæ. aa ʒij.

sacch. cand. ʒij. — III.

ol. cinnam.

nucist. dest.

de cedro aa gutt. VI

M. f. tragea.

Pul-

Pulueres No. 1. et 2. proprie sunt digestiui, posterior maiorem, prior minorem in cruditatibus viscidis resoluendis exferit effectum. Pulvis No. 3. 4. et 5. in ventriculi imbecillitate effectibusque ab hac dependentibus tollendis eonducit, quem effectum posterior prae ceteris maiori in gradu producit. Sumitur, uti plerumque trageae adhiberi solent, cum vino generoso vel cum pane medicato, saccharato, cocto, tosto vulgari vino generoso imbuto, cui deinceps iusta quantitate inspergitur.

IX. Pulueres antispasmodici et antepileptici.

1.

R $\mathfrak{x}$. lumbr. ∇ estr.

raf. vag. alc.

dent. hippopot.

rad. poeon.

nitr. purif. aa 3ij.

cinnab. ppt. 3ß.

extr. castor. gr. VI.

M. f. puluis.

2.

R $\mathfrak{x}$. pulu. March. 3ij.

succ. ppt.

nitr. purif. 3ß.

ol. macis gutt. II.

M. f. puluis.

Qui-

Quidam sequentem puluerem antispasmodicum praedicant, eiusque vires in spasms mitigandis summis laudibus extollunt, Admodum quoque frequenter, et, quod maxime mirandum est, sine vilo discrimine et ratione circumstantiarum habita vsurpatur, sed quo iure ipsi hic titulus conveniat, aliorum iudicio relinquam.

3.

℞. tart. ♂ lat.

nitr. purif.

⊖ mirab. Glaub. aa ʒi.

lap. ☉ ppt.

cinnab. nat. aa ʒss.

M. f. puluis.

Pulueres No. 1. et 2. descripti, ab illustri b.m. HOFFMANNO in affectibus epilepticis et spasmodicis maximopere commendantur, vti cuique eius scripta legenti patebit. Infinitae fere puluerum antispasmodicorum et antepilepticorum in libris extant compositiones, quae maxima ex parte constant ex sic dictis specificis antispasmodicis et antepilepticis, qualia vngula alces, cranium humanum, lapis manati, dens hippopotami, ebur, cornu cerui, vnicornu verum, idque genus alia, esse praedicantur. Quod ad meum de horum virtute iudicium attinet, dubito, num ea a reliquorum terreorum, e regno

e regno animali depromptorum, virtute differat, utpote quae, ut mea fert opinio, in acrimonia acida absorbenda, vel alteranda, et effectibus exinde dependentibus, consistit. Quae de re eatenus quidem dicta remedia epilepsiae mederi, quatenus illa provenit ab acrimonia acida irritante, lubens meritoque concedo; sed num alio etiam et plane diuerso respectu antepilepticorum titulum mereantur, dubius haereo, nec affirmare audeo. Quae igitur si ita essent, maximopere mirarer, cur in tali formula, qualis est illa No. 1., tot ex dictis remediis congerantur, cum tamen vnum sufficisset. Certe enim mihi persuadeo, tam ratione, quam experientia nixus, epilepsiam infantum, quae ab acrimonia acida primas vias irritante oritur, solis conchis praeparatis, vel alio huius generis remedio, aequè debellari posse, ac puluere No. 1. descripto. Praeterea notandum est, nullum remedium antispasmodicum et antepilepticum nec existere, nec dari posse, quod omni omnino spasmo et epilepsiae, a quacunque proficiscantur causa, medeatur, sed, si quod remedium spasmus vel epilepsiam curare debeat, indaganda prius est eiusdem causa, ut huic tollendae aptum et conueniens inueniri possit. Sed quotnam et quam variae sunt spasmi vel epilepsiae causae?

X. Pul.

X. Pulueres pectorales.

1.

R. sacch. candi ℥i.
myrrh. depur. 3℥.
ol. macis. gutt. IV.

M. f. puluis.

2.

R. sacch. cand. ℥j.
myrrh. elect. ℥ij.
flor. Anis
rad. irid. Flor. aa 3℥.
croci gr. V.

M. f. puluis.

3.

R. lap. ☉ ppt.
▽ fol. tart. seu
tart. Fritat. aa 3j.
rad. glycyrrh.
irid. Flor.
pimp. alb.
ari aa 3℥.

M. f. puluis.

4.

R. rad. vincetox. ℥j.
squill —
nitr. dep. aa gr. VI.

M. f. puluis, diuid. in parres duas aequales.
Pul-

Puluis no. 1 egregie conducit in pectoris affectu, quo pulmones et bronchia materia tenax et eiectione difficilis obsidet, tussis adest, pulmones debilitati sunt atque in iis vlcus nasci incipit, vel iam natum est. Myrrham enim, vi principiorum, ex quibus constat, pulmones debilitatos roborare, et vlcera depurare et consolidare, materiamque tenacem resolueret, ex materia medica patet. Puluis No 2. praeter eosdem, qui a pulvere No. 1. producuntur, effectus, materiam tenacem magis resoluit, et transpirationem promouet, vnde patet, cui scopo adhiberi possit. Puluis No. 3. prae modo dictis pulueribus hoc habet peculiare, vt materiam lentam et viscidam, pulmones obsidentem, fortius resoluat, adeoque in malis, quae exinde oriuntur, tollendis, egregium exserit effectum. Ad eosdem fines obtinendos, pulueres descripti creberrime vsurpati sunt ab *illustri b. m. HOFFMANNO*. Puluis posterior No. 4. singulari in asthma humido utilitate prae omnibus aliis se commendat, eiusque virtus salutaris in hydropo, tumoribus oedematosis et cachecticis, nephritide pituitosa, calculo, suppressione vrinae, aliisque aegritudinum grauiorum speciebus, a Medicis maximopere laudatur, testante id *celeberrimo D. D. WAGNERO* in libello suo, sub observationum clinicarum titulo anno 1737 edito. Veritatem dictorum maxima ex parte Vir modo laudatus *illustris b. m. HOFFMANNVS* am-

amplissima sua experientia comprobat. Scribit enim in *Med. rat. syst. Tom. IV. Part. III. Sect. II. cap. 2. obs. 8. in eprisrifi* ita: *Observatione denique dignissima est mirabilis illa ac fere stupenda squillae, in alleuando asthmatis immani paroxysmo, efficacia* — — Certe meretur haec radix inter remedia heroica referri, et nostris etiam temporibus in usum trahi. Nam exserit non modo virtutem potenter incidentem, verum etiam languentes motus excitat, et, quod mirabile est, blande simul anodynum exerit effectum. Scire vero licet, ante illius usum corpus blandis laxantibus esse purgandum, illamque ad tria aut quatuor grana, cum radice vincetoxici et nitro, quod mitigat acriorem eius vim, exhibendam. Et in eprisrifi obs. 8. addit. Praeter haec memorabilis squillae videtur effectus, aliquot etiam aliis exemplis notatus, in spasmodicis et convulsionibus partium nervosarum praesentissime sopiendis, maxime catarrho suffocatiuo, asthmate convulsivo, quandoque etiam in epilepsia, etc.

VII. Pulveres analeptici et confortantes.

I.

R_x. cinnab. opt. ℥℥.

facch. Canar. ℥j.

ol. cinnam. ℥℥.

M. f. pulvis.

2. R_x

2.

R̄. facch. Canar. ℥ss.
 ambr. gryf. ℥ss.
 moschi gr. IV.
 ol. cinnam. gutt. VIII.

M. f. puluis.

Vfus puluerum No. 1. et 2. debet esse circumspectus, nec plethoricis, ad sanguinis et humorum orgasmum admodum pronis, exhibeantur, magna praesertim quantitate. Pulveris No. 2. ingredientia quaedam non omnes sine magno incommodo perferre possunt, ideo vel plane ab eius usu est abstinendum, vel ei puluis no. 1 substituendus. Alias pulveres hi legitime adhibiti bene conducunt in viribus languentibus, et effectibus exinde resultantibus.

XII. Pulveres purificantes et salivantes.

I.

R̄. conch. ppt. ℥ij.
 merc. dulc. ℥j.
 M. f. puluis.

2.

R̄. millep. ppt. ℥ss.
 ꝑii dulc. gr. III.
 M. f. puluis.

(Pars II. de form. in specie.) M Su-

Sumuntur quoque haec pulueris ingredientia ad partes aequales. Conferatur de horum puluerum vsu *Commerc. litterar. physico-med. Ann. I. p. 412.* et *Acta physico-medica Nat. Cur. Vol. I. p. 58.* Vfus horum puluerum iam per se patet, sed praeterea optime adhibentur in vlceribus malignis et obstructionibus partium glandulosarum a causa venerea prouenientibus.

XIII. Pulueres menses et partum difficilem promouentes.

I.

R̄. borac. Ven. ʒj.
myrrh. rubr. ʒj.
elaeosach. cinnam. gutt. I.

M. f. puluis, diuid. in IV. partes aequales.

2.

R̄. borac. Venet.
cinnam. acut. aa ʒij.
hep. anguill.
succ. alb. ppt aa ʒj.
croci ʒʒ.

M. f. puluis, diuid. in dos. XIV.

XIV. Pul-

XIV. Pulueres anthelmintici.

1.

R̄. rad. ialapp.
fem. Santon.
corallin.
℞ii dulc.
C. C. vlt. aa 3℞.
M. f. puluis.

2.

R̄. mercur. dulc. siue
aethiop. min.
scamm. ℞ur. feu
rad. ialapp. aa 3℞.
matr. perl. ppt. 3j.
M. f. puluis.

XV. Puluis antifebrilis.

R̄. tart. Ⓢ-lat.
Ⓢ dig. Sylu.
conch. ppt.
nitr. depur.
℞ii diaph. aa 3j.
cort. chin.
cascar. aa 3℞.
M. f. puluis.

M 2

XVI. Pul-

XVI. Pulueres aperitiui.

1.

R ξ . $\ominus$ Ebsoniens. siue
Carolin.

Sedlic. aa $\overline{\text{ʒj}}$.

crem. tart. $\overline{\text{ʒʒ}}$.

nitr. purif. $\overline{\text{ʒij}}$.

M. f. puluis.

2.

R ξ . tart. $\oplus$ lat. $\overline{\text{ʒij}}$.

oc. $\oplus$. citrat.

nitr. depur. aa $\overline{\text{ʒj}}$.

cinnab. $\overline{\text{ʒj}}$.

M. f. puluis.

Salia dicta partes solidas stimulando et humores tenaces resoluendo agunt, hinc egregium in obstructionibus viscerum eorumque infarctu et morbis exinde dependentibus, neque minus in excretionē alui et vrinae promouenda, exferunt effectum, imprimis si simul pilularum balsamicarum Hoffmannianarum vsus coniungitur. Eodem modo et sine

b. m. HOFFMANNO.

SECTION